



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

38 Missae celebrandæ cum duo de iure interesse debent, surdaster vix sine peccato presbyterio insignitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**



c. 1. & 2. de temp. ord. in 6. & c. Lugdunensis 9. q. 2. & Cōc. Trid. sess. 23. c. 8. de ref. presertim cum tanta, cur Papa suā gratiam limitauit, vt impetrans ab ordinario suo tantum ordinaretur, sicut ne ordinatio præiudicium fieret; aut Concilio Tridentino vbi supra, statuenti, vt ordines a proprijs Episcopis assumantur, derogaretur: Nihil autem Episcopo consentienti, vt ab alio ordinetur, præiudicatur, cum scienti, & consentienti non fit iniuria, aut dolus cap. Scienti. de regu. iur. in 6. Sed neque Concilio derogatur, cum expresse permittat, vt per rescriptum quis ab alio Episcopo promoueri possit, dummodo probitas, & mores eius a suo Episcopo commendentur.

## DECISIO XXXVI.

Ex consil. 5. alijs 7.

36 **O**rdinatus ante legitimam ætatem ad subdiaconatum, Diaconatum, & presbyteratum, illisque vsus ordinibus ante vllam dispensationem, ter suspensus est, & toties irregularitatem incurrit, quoties ordinibus illis vsus sit, ante obtentam dispensationem, & absolutionem. Extra. cum ex Sacram. & ex Nau. in Man. c. 27. nu. 70. & cap. 27. nu. 141. a quibus irregularitatibus nec per Bullam Cruciatæ, nec per alia iubilæa absolui, aut liberari potest, & si beneficium aliquod post incursum irregularitatem, ante eius sublationem ei conferatur, collatio illa propter irregularitatem præcedentem nulla est. Innoc. in c. cum nostris, de concess. præb.

## DECISIO XXXVII.

Ex consil. 36. alijs 1. de sacram. non itiner. and.

37 **S**uscipiens ordines sacros, antequam minores suscipisset, & postea minores suscipiens, & iterum maiores, & tandem beneficium, per priorem promotionem ad sacros per factum, solum est suspensus, ita Nau. in Man. c. 25. num. 71. & c. 27. nu. 242. propter iteratam vero sacri ordinis susceptionem, irregularitatem incurrit, c. t. dist. 68. propter quam incapax etiam ad beneficium accipiendum effectus est ex Nau. in Man. c. 27. nu. 246.

## DECISIO XXXVIII.

Ex consil. 37. alijs 6. de corp. vitiat.

38 **Q**uamuis iudaster, seu difficulter audiens, presbyter ordinari potest, qui tamen omnino surdus est, presbyter sine peccato ordinari non potest; talis autem ordinatus sine dispensatione, & licentia Papæ Missam solus & sine Ministro respondente celebrare non potest, cum de iure Missæ celebrandæ duo saltem interesse debent, cap. Hoc quoque, de consecr. d. t. & glo. in c. cum nostris, de concess. præb. cum licentia vero Papæ, solum sine Ministro respondente, cum illum audire nequeat, in loco priuato, & secreto celebrare potest.

## DECISIO XXXIX.

Ex consil. 38. alijs 40. de Homicid.

39 **Q**ui cum alijs multis auctoritate publica Bannitos insequendo, aliquem illorum occidit irregularis efficitur, nec sine Papæ dispensatione ad ordines promoueri potest, c. fin. de temp. ord.

## DECISIO XL.

Ex consil. 39. alijs 3. de filijs presbyr.

40 **I**llegitimus obtinens dispensationem a Papa ad Episcopatum suum, vt secum dispenset, & antequam dictus Episcopus commissionem exequitur, prima tonsura iniuriatus Canoniatum a Papa impetrat, & tonsuram accipiendo peccat, & canonicatus obtentio inualida redditur; eo quod commissio ad dispensandum, ea non secuta, nihil operatur, & prouiso canonicatus facta illi a Papa non valet, quia in ejus collatione supponitur cum eo dispensatum esse super defectu Natalium, cum tamen dispensatum non sit, sed solum mandatum, vt cum eo ab Episcopo dispenseretur.

## DECISIO XLII.

Ex consil. 40. alijs 7. de cler. excom. ministr.

41 **Q**uamuis olim ordinatus extra tempora ipso iure suspensus non erat, sicut nec ante legitimam ætatem ordinatus, sed solum suspendendus sit; c. cum quidam, c. vel non est compos, de temp. ord. hodie tamen vterque ipso iure suspensionem incurrit, Extra. cum ex sacrorum, & Nau. in Man. c. 25. nu. 71. & c. 27. nu. 242. & etiam per factum promotus, & si antequam absoluantur a suspensione acti aliquo proprio ordinis accepti vtantur, irregularitatem incurrunr, d. Extra. cum ex sacrorum, & c. 1. de re iud. in 6. & c. 1. de sent. excom. in 6. super qua irregularitate sic per violationem censuræ incurra, solus Papa dispensat, si non sit occulta; Nam dispensandi facultas, per Concilium sess. 14. c. 6. de ref. Episcopis data, æque ad irregularitates incurfas ob violationem suspensionum, ac ob alias causas extenditur; Semel autem irregularis licet grauius peccet celebrando, nouam tamen irregularitatem non incurrit, ex eo solo quod existens irregularis celebret, ex Innoc. in cap. si celebret, de cler. excom. ministr. & Nau. in Man. ca. 24. nu. 194.

## DECISIO XLIII.

42 **I**llegitimus licet irregularis sit, c. 1. & si. de fil. presb. non tamen est suspensus, quia nemo suspenditur sine propria culpa, sicut nec aliquis sine propria culpa excommunicatur; interdicitum, autem etiam propter alienam culpam ferri potest.

## DECISIO XLIII.

Ex consil. 41. alijs 1. de his qua vi met. causa sunt.

43 **Q**ui ob reuerentiam patris, vel Regis, aut alioquin alterius ordine sacro initiati se consentit, alijs non consenturus, vere ordinatus est; Arg. c. maiores, §. item quantur, de Baptis. cum facta per metum simpliciter voluntaria sint; licet secundum quid inuoluntaria; ex S. Tho. 2. 1. qu. 6. art. 6. & Nau. in Man. prælud. 6. nu. 4. & coacta voluntas, voluntas est c. Merito, 1. §. q. 1. vnde vt quis ordinetur satis est consensus non solum absolutus, sed etiam conditionalis illius, qui consentire potest: quamuis non in eo qui non potest consentire, cum & infans incunabilis existens, & amens, sine vilo eorum consensu characterem ordinis suscipere possit; Quoniam aliud est consentire, & aliud dissentire, sicut aliud est velle, & aliud nolle; solus autem dissensus absolutus omnino ordinis assumptionem impedit.

## DECISIO XLIV.

Ex consil. 42. alijs 17.

44 **O**rdinatus vique ad Diaconatum inclusive ad titulum patrimonij donati sibi a fratre, & ad preces eiusdem renuncians postea illud eidem fratri suo, & postea sine alia donatione fratris assumens presbyteratum virtute prioris donationis, nec censuram aliquam, nec irregularitatem incurrit, cum id nullo iure cautum sit, renunciatio autem tituli ab ordinato ad Diaconatum ipso iure nulla est, vt ait Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. de ref. nec præstat impedimentum, quod iure non sortitur effectum, c. non prætat, de regul. iur. in 6.

## DECISIO XLV.

Ex consil. 43. alijs 38.

45 **E**piscopus ab omni suspensione a iure lata, & Papæ non reseruata absoluere potest: & consequenter clericum ad alieno sine literis dimissorijs ordinatum a suspensione sic incurfa absoluere valet, c. Lugdunensis, 9. qu. 2. & comprobatur Concil. Trid. sess. 23. c. 8. de ref. illamque ordinationem in suam iniuriam factam approbare potest.

## DECISIO XLVI.

Ex consil. 44. alijs 24.

46 **A**nte legitimam ætatem ecclesiam parochialem obtinens, & post eam adeptam in legitima ætate, & temporibus statutis, cum literis dimissorijs sui ordinarij ordinatus ad ordines sacros ad utrumque illius, peccat,